

qui erant, curamque adhibuerant ne Busichius a Gallis 1512
 captivus fieret, pensio annua singulis, quoad viverent,
 impetrata. duobusque Frassinæ Epirotarum item equitum
 præfecti liberis pensio ipsius tradita. Idem in tres Bastæ
 fratres servatum. paucosque post dies Federici Contareni
 forori dotis nomine auri libræ quindecim e reipublicæ pe-
 cunia constitutæ. civibus autem Brixianis aliquot, qui
 amissis suis rebus omnibus ad urbem venerant, Jacomi-
 noque Tropiano, ejusque filio a Patribus pecunia in vi-
 ctum subministrata. is Jacominus suæ vallis homines egre-
 gio studio atque animo ad rempublicam tuendam evoca-
 bat. Ludovico etiam Cocajo, qui ut Benaci lacus oppi-
 da se reipublicæ dederent, studium & laborem contule-
 rat, pensio annua liberaliter instituta, ejusque filio magi-
 stratus reipublicæ ex iis, qui a præfectis civitatum eligen-
 tur, quem is vellet, dono datus. Petro quoque Finio
 Bergomati, qui ad Aloisium Avogarium sæpe ventitave-
 rat, interpretesque apud illum de Brixia reipublicæ resti-
 tuenda fidus atque diligens fuerat, octo scribarum tem-
 pora apud totidem Castri Franchi magistratus paulo post
 a Patribus assignata.

Curatores interea duo ad munitiones perficiendas atque
 amplificandas, Aloisius Barbarus Patavium, Bartholo-
 mæus Mustius Taurisum cum stipendio missi. majoribus-
 que comitiis lex est perlata, uti bini Patavii præfecti,
 qui creandi erant, annui, & prærogativis primum sena-
 torum suffragiis, deinde comitialibus legerentur: estque
 Aloisius Emus secundæ dignitatis magistratus ea lege le-
 ctus. Legatis post hæc Helvetiorum duodecim ad urbem
 venientibus, ut cum Julio & Ferdinando & Patribus ad
 bellum contra Gallos se conjungerent, cives e nobilita-
 te, qui eos exciperent, obviam missi: ipsi liberali reipu-
 blicæ hospitio accepti, & victus datus. Julius Brixiam a-
 Gallis recuperatam intelligens, uti Patres cum Maximi-
 liano fædus facerent, non modo consulendo & suadendo,
 sed minis etiam atque obnunciationibus contendebat. Ta-
 bellarius interim reipublicæ qui apud Gallos erat in cu-

*Patavina-
rum præfe-
ctorum eli-
ctio.*